

tamen in bilem, et malos humores convertit; e contra stomachus vigorosus alimentum ceteroquin crudum et noxium in bonam transmutat substantiam; ita quoque in casu præsentis asserere possumus. Nam anima charitate ardens, licet actionem quandam proximi sui secundum exteriorem apparentiam malam videat, attamen non cogitat malum, quia charitas operi multitudinem peccatorum, convertitque in virtutem, quod oculo vitium esse videtur, excusat actionem illam, eandemque recta cum intentione factam fuisse, interpretatur. At vero qui animam depravatam, et cor malignum, ac charitatis expertus habet, actus quoque revera virtuosos sinistra interpretatur. Unde S. Augustinus inquit: Maxime hi timere judicant de inertis, et facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare atque corrigere. S. AUG. I. IV. de ser. Dom. in monte, l. I, c. I, VIII.

Sicut quando radix arboris alicujus vitiosa est, videmus per experientiam, quod humorem suum vitiatum in ramos et gemina transmittens, malam qualitatem illis pariter communicat. Eadem quoque ratio est cordis, et mentis humana; quando enim hæc veneno odii et aversionis erga proximum suum est obnoxia, quicquid hic boni operatur, defectui adscribitur. MANSI, d. I, n. 3.

Sicut, si quis solem, auctorem tenebrarum existimat, sibi, non illi detrahit; ita, qui bonos homines, pravos judicat, sibi, non illis nocet. S. CHRYS. hom. LXXXVIII.

Sicut modicum fellis aut absinthii totum vasculum melle plenum corrumpit; ita modica amaritudo mentis, qua judicamus proximum pro statu mentis nostræ, totum proximi bonum corrumpit. S. DOROTH. Doct. XVI.

Sicut stomachus morbo vitiatum, et bilem colligens, quoscumque accepit, cibos immutat, et omne alimentum in causam doloris trahit; ita animus cæcus, quicquid illi commiseris, ad onus enim et perniciem, et occasionem miseriæ facit. SEMER, l. V, de Benefic.

## MOTIVA.

Quia Deum fugat Judicium Temerarium; nam, teste S. Dorotheo, tanto quisque ad Deum proxime accedit, quanto magis in amore, et benevolentia Christiana proximo

suo adhæserit. Docet vero experientia, quod, dum quis male de proximo suo judicat, manifeste per hoc indicet, se ab eo esse aversum, alias enim non tam facile sinistram de eo formaret conceptum. S. DONATI. ser. VI.

Quia pestis occulta est, ut S. Bonav. ait, sed gravissima, que Deum fugat, et fratrem lacerat charitatem. Pestis enim est venenum quoddam occultum, quod ad cordis regionem serpendo, vitam homini eripit; vita autem animæ in charitate consistit, quia qui non diligit, manet in morte; ac proinde Judicium Temerarium venenum quoddam et pestis est, que charitatem exlinguit, quam proximo debemus, quia fratrem lacerat charitatem. S. BONAV. in Stim amoris c. X.

Quia mater contemptus et detractionis est. De contemptu quidem testatur S. Thomas, dicens: Ex hoc, quod habet aliquis malam opinionem de aliquo, et absque sufficienti causa injuriatur ei, et contemnit ipsum in mente sua. Nullus autem debet continere proximum, vel quodcumque nocuum mentum inferre, absque causa urgente; quia hoc est contra charitatem proximi. S. THOMAS, apud Mansi, d. II, n. 8. De detractione vero, S. Bernardinus dicit: Decimus fructus (scilicet iudicii temerarii) est detraçtio, nam tale Judicium Temerarium radix est et fomentum omnis detractionis. S. BERN. Ser. t. IV, s. XIV, n. 3.

Quia Diaboli fetus est, ut qui hoc venenum quovis sæculo in universam humanam progeniem transfundere molitus fuit. Propter quod S. Augustinus, in epistola quadam, ita scribit: Qui timetis Deum, meminitote, quod ait Apostolus Petrus, quoniam adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circum, quærens quem devoret; quem non potest devorare, seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut, si fieri potest, opprobriis hominum, et malignarum linguarum detractione deficiat, et sic in ejus fauces ruat. Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc persuadere tentat, ut per malevolas suspensiones de fratre suo judicet, et sic ab illo implicatus absorbeat. S. AUG. I. III, ep. CXXXVII.

Quia turpiter fallit; uti Deus ipse per Jeremiam indicavit, dicens: a Prævarum est cor omnium, et inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et renes probans. JEREM. c. XVII, 9. Quis igitur corda humana, illorumque sinum penetrare,

Deique jurisdictionem sibi usurpare præsumit præterquam Lucifer, qui temere de se gloriatum est, dicens: Ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo?

Quia Deo gravem injuriam infert, dum ei gloriam suam aufert; nam, ut S. Bernardinus dixit: Duo sunt, quæ sibi Deus retinuit, et spectant ad ipsum solum, scilicet gloria et iudicium: Gloriam meam nemini dabo, Iudicium dedit ei Pater facere. Atqui Dei gloriam depradari videtur, quicumque humanarum mentium assuescit arcana perquirere. Ipsi soli hominum cogitationes, sicut notæ sunt, ita judicande ab illo. S. BERN. t. IV s. XXVIII. 2. Hinc idem Sanctus Bernardinus ait: Iudicis injuria est, si ante ejus iudicium a servo procedat sententia. Sed notandum est, quod talis iudicii usurpatio tanto gravior est, quanto summo iudicio auctoris impudenter usurpatur. S. BERN. Ser. t. II, s. XIV, art. 3, c. II. Quibus accedit S. Laurentius Justinianus dicens: Hinc quorundam presumptuosorum est redarguenda temeritas, qui non dum proximorum opera discutunt, verum etiam alieni cordis se faciunt iudices. Volunt quippe judicare, quales sint hominum cogitationes, quibus ducentur affectionibus, qua intentione operentur, quoque spiritu moveantur, quod omnino non licet, cum nemo seiro valeat, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in illo est, quamque persape contingat, quod sibi ipsi ignotus sit. Divinam in se tales reflectant auctoritatem, quæ interiorum sola est capax, dum intentionum cogitationumque abdita penetrare posse se putant. De his legitur sic: Ambulabant in tenebris, sicut in meridie. Porro, quemadmodum in meridie, ita illi in tenebris ambulare dicendi sunt, qui mentium proximorum profunda consilia curiosa investigatione perustriant. Et ex hoc iudicia temeraria contingentes, in nocte ignorantie ambulantes, meridiem se aspexisse exultant. Opus enim malitiæ implet extrema, dum falsa proximo opprobria affigit et crimina, et invadit Magistrum locum, cum non sit dignus tenere discipuli. S. LAUR. Instr. de Vit. solit. c. III.

Quia etiam fama, cui iudicium plerumque imputatur, fallacissima est, uti Tertullianus indicavit dicens: Natura fama omnibus nota est; nam, juxta Virgilium, fama malum quo non aliud velocius ullum. Cur fama malum? Quia velox, ac quia plurimum men-

dax, quæ ne tunc quidem, cum aliquid verum affert, sine mendacii vitio est, detrahens, adiciens, demansus de veritate? Quid? Quod ea illi conditio est, ut non nisi, cum mentitur, perseveret. Fama, nomen incerti, locum non habet, ubi certum est. An vero fama eredit, nisi inconsideratus; quia sapiens non credit incerto. TERT. Apol. c. VII, n. 101.

Quia incertum est, quem exitum habitura sit vita hominis. Hinc S. Clim. reflectens se ad illam mutationem, quæ in Juda et latrone in brevissimo tempore visa fuit, ita scribit: Quin et hoc attende, et penitus abstinere a iudicando, si quem videris peccantem. Judas in collegio discipulorum erat, latro vero in numero homicidarum, et mirandum est, quanta rerum uno momento facta sit conversio. S. CLIMAC. gr. x. In vita Sancti Philippi Nerii (qui corda penetrandi dono pollebat, aliorumque obscenam impuritatem ex solo sentiebat odore) legitur, quod eundem malam ejus delixerit conscientiam, dicendo ei, quod pessimum faciei præferret colorem, ad peccatum alidueno, quo inquinatus erat; hic autem seorsim se subducens, cum in corde suo compunctionis actus excitasset, ad presentiam Sancti Philippi denuo rediit, cui tunc sanctus vir dixit: Fili, vultus tui mutasti colorem, juveniorem enim referis faciem, quam antea. Vita S. Phil. Ner. l. III, c. VIII, n. XXVIII. Idem Sanctus Climacus ibidem ait: Vidi, qui palam peccaret, et clam penitenter; et quem ego ut impurum nequam damnaveram, jam apud Deum temperans et pudice habebatur, cum per sinceram emendationem Deum sibi propitiasset. S. Ephrem quoque ita scribit: Si fratrem peccantem aspexeris, et postero die eundem videris, ne ipsum peccatorem tecum reputes, ignora enim, an te absente post lapsum bene operatus sit, et suspiriis atque gemitibus Dominum placaverit. S. EPHREM, t. III, de Timore Dei.

Quia prior vita non nascitur; hinc Sanctus Dorotheus in quodam sermone suo de hac eadem iudiciorum temerarium materia fuse tractans, alia inter monita hoc pariter statuit: Si contigerit, ut defleat, et labatur, unde, quæso, tu nosti, quanta ille pertulerit prius, quo certamine sudaverit, aut quanto sanguine maderit? Fortasse fieri potest, ut error illius coram Deo tanquam justitia reputetur; intuetur enim Deus agnoscere, et laborem illius, et afflictionem, quam pertulit, antequam errorem illum et



casum incurrerit, proindeque miseretur et ignoscit. Itaque Deus miseretur, et veniam illi præstat; tu vero condemnas, et animam tuam perdis. Unde, quæso, tu nosti, quam largas et uberes effuderit ille pro suo delicto lacrymas ante conspectum Domini? S. DOCTOR. ser. vi. Bene igitur D. Bernardinus ait: De quo desperamus, subito convertitur, et fit optimus; de quo multum præsumperamus, deficit, et fit malus, nec timor noster certus est, nec amor. Quid sit hodie quisque homo, vix novit ipse homo. S. BERN. *ap. Mansi*, d. VIII n. viii. Sic agebat hæc considerans Frater Bernardus de Quintavalle, Sancti Francisci socius, scintillantes instar duarum stellarum habebat oculos. Perque divinam revelationem intellexit Frater Leo, ideo esse oculos ejus radiantes, quod, quicquid videret, semper in meliorem partem interpretaretur, et neminem aspiceret, quem se meliorem non judicaret. Unde si quem pauperula opertum videbat veste, dicebat intra se: Hic patientius paupertatem tolerat, quam tu, Bernarde; si pretiosam videbat chlamydem: Hic forte sub veste delicata melior est, quam tu sub tunica rudi, Bernarde. *Ibid.* disc. xxx, n. 4.

*Quia fuga illius ad Judicem Christum conciliandum conduit, juxta illud Christi promissum: « Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim iudicio judicaveritis, judicabimini. »* MATTH. VII, 1.

*Quia præcepto charitatis proximi est summe contrarium; cum enim hoc exigat, ut proximum sicut nos ipsos diligamus; nos autem nihil magis optemus quam ut omnes de nobis bene sentiant, et loquantur, recte colligitur, graviter hoc præceptum violari ab eo, qui proximi actiones sinistre interpretari præsumit.*

*Quia et ipsi auctori graviter perniciosum est hoc vitium; nam in primi justos Dei iudicio plerumque contingit, ut, qui alios judicant, in eosdem defectus, quos aliis imputarunt, cadant. Deinde vero, etiamsi in illos non cadant, tamen eadem poena digni sunt, uti Christus Sanctæ Mechthildis revelavit; dum eidem dixit, magni esse criminis, cum homo iudicat proximum suum, quem si injuste judicaverit, reus erit tanti sceleris, quanti esset is, qui fecisset hoc malum, quod de alio iudicatur. Quod si homo etiam fecit id, quod de eo dicitur; tamen qui nesciens intentionem facientis secundum cor suum*

*et sensum eum iudicat, tam reus erit ex ipso iudicio, quam ille, qui rem ipsam perpetravit; et nisi poenitendo diluat, simili poenæ quam ille promeruit, qui hoc malum fecit, et ille subiacebit.* S. MEEUR. I, 1, c. VII.

#### MEDIA.

*Radicem tollere; quam quidem sat clare S. Augustinus indicavit, dum dixit: Maxime hi temere iudicant, qui merita aliorum facile reprehendunt; quique magis amant vituperare et damnare, quam emendare et corrigere; quod vitium est superbia vel invidia.* S. AUG. *de ser. Domi. in monte.*

*Propria peccata considerare.* Sic enim Christus ipse suasit, dum dixit: Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo. MATTH. VII, 3. Et merito, nam, ut sapienter Sanctus Gregorius dicit, qui semetipsum prius non iudicat, quod in alio rectum iudicat, ignorat. Et si novit forte per auditum, quod recte iudicare debeat, recte tamen iudicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentie propria nullam iudicis regulam præbet. S. GREG. I. XIV *Mor.* c. xv. Hinc est enim, quod insidiantibus quibusdam, et puniendam adulteram deducuntibus dicitur: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. JOAN. VIII, 7. Ad aliena quippe peccata puniendâ ibant, et sua reliquerant. Quod ipsum egregie confirmavit senex ille, qui a Fratre rogatus, quæ causa esset, cur assidue iudicaret Fratres Monachos? respondit: Quia nequum teipsum cognovisti; nam qui seipsum novit, fratrum vitia non aspexit. Idem medium suadet etiam Sanctus Bonaventura dicens: Quandoquæque aliquid videris fieri, quod tibi displicat, antequam iudices facientem, primo respicias temetipsum, utrum in te invenias aliquid reprehensibile, quod si inveneris, tunc in illo, in quo alium iudicas, temetipsum condemnas, dicendo eum Propheta: *Ego sum qui peccavi; ego qui inique egi, et non sis sicut hypocrita, qui nunquam respicit defectus suos, sed præsumit de se, et condemnat alios, detrahit et iudicat, et vult videre festucam in oculis eorum, trabem autem, quæ est in oculo suo, non considerat; quem Veritas reprehendit, dicens:*

#### JUDICIUM TEMERARIUM.

*« Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc respicies, ut educas festucam de oculo fratris tui. »* S. BONAV. *ap. Mansi* *dis.* XI, n. 4. Hinc et Sanctus Climacus ait: Quicunque sua ipsius vitia sine amoris proprii velo accurate perspexit, nullius rei alterius humane cura suscipiet, ut qui intelligat, nullum tempus ad sua peccata defendenda sufficere, etiamsi centum annos viveret, videretque totum Jordanem in lacrymas versum ex oculis suis defluere. S. CLIMAC. *gr.* x.

*Dilectio proximi; ita suadet Sanctus Gregorius dicens: Sed quare hoc grave videtur nobis esse in proximo, nisi quia nec nos sicut proximum, nec proximum conspiciemus sicut nos? Si enim nos sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensibilia distriete videremus; et rursum, si proximum aspiceremus ut nos, nunquam ejus actio appareret intolerabilis, qui saepe fortasse talia egimus.* S. GREG. I. I, hom. iv, in *Ezech.* Idem medium approbavit Sanctus Augustinus, dicens: Non iudicat personaliter, qui diligit aequaliter. S. AUG. *tr.* xxx. Et ut bene discurrit Stapletonus, ubi charitas, et misericordia habitant, ibi frater non iudicatur. Lex fidelium mercatorum est, ut socii sint non minus in damno, quam luero. Hoc fit in tota fidelium societate. Sicut enim charitas aliena bona facit sua juxta illud: Particeps ego sum omnium timentium te; atque sic multum luatur; ita misericordia aliena mala facit sua, fratribus compatiendo juxta illud: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Quod alibi apposita similitudine confirmat, dum ait: Sicut flavius magnus et alte patens omnes rivulos ad se venientes sinu excipit, et complectitur; et sicut ignis omnia comburit, et in se convertit; ita charitas dilatata omnes aliorum actiones in bonam partem accipit, et ubi factum non potest, intentionem excusat. STAPL. in *Dom. 1 post Pent.* tom. II.

*Intentionem occultam attendere; nam, teste Sancto Augustino, in disciplina nostra non tam queritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur? Nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis? Nec utrum timeat, sed quid timeat? Irasci enim peccanti, ut corrigatur; contristari pro afflicto, ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat, nescio utrum quisque sana consideratione reprehendat. S. AUGUSTINUS, de *Civ. Dei*, c. III. Hinc Cassianus quoque ait: Etiam ob hoc*

*judicare de aliis, periculosum est, quod ignorantes vel necessitatem, vel rationem, qua illi hæc, in quibus offendimur, aut recte coram Deo, aut venialiter agunt, invenimur eos temere iudicasse, et per hoc admittimus non leve peccatum.* CASSIAN. I. III, cap. xxx, *Instit.* Cui etiam consentiens Sanctus Bernardinus: Est nobis, inquit, aliquod dubium ex ignorantia principii; nam principium boni vel mali operis, est intentio vel voluntas, unde cum incertum sit quo animo, vel qua intentione opus sit factum temerarium iudicium debemus præcavere. S. BERN. tom. II, s. xiv, art. 1, c. v.

*Assuere, omnia proximi opera bene interpretari; juxta illud S. Bernardi consilium: Excusa intentionem, si opus non potest; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum, et monitum Apostoli dicentis: Nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis? S. BERN. ser. iv, in *Cant.**

#### ASCETICA.

*In primis nosse debet radicem hujus vitii, quam S. Dorotheus indicavit dicens: Unde autem isthæc patimur, nisi ex eo, quod charitate vacuum? Nulla enim, vel admodum tenuis et exigua nobis inest charitas. Nam charitas non cogitat malum, omnia suffert, ac tolerat, omnia credit. S. DOCTOR. ser. vi. S. Antoninus quoque id confirmans: Provenit, inquit, hoc ex eo, quod quis male afficitur ad alterum. Cum enim quis contemnit alium, vel odit, vel irascitur, vel videt, ex levibus signis opinatur male de ipso, quia unusquisque facilius credit, quod appetit; quia igitur male affectus ad alium appetit illi malum, promptus est ad cogitandum malum de eo. S. ANT. p. II, tit. 1, c. viii, § 1.*

*Nosse debet fundamentum hujus malitie. Nam proximum noster jus habet, bonum nomen bonamque famam, tam apud nos, quam quemcumque alium exigendi, modo malis suis, iisque manifestis, et patentibus actionibus conceptum bonum non destruxerit; illi itaque injuriatur, dum absque conjecturis et argumentis sufficientibus contrarium, sinistram formamus affectum; atque ita charitatem, imo et justitiam, eujus debitores sumus, non ostendimus. Hinc Dionysius Carthusianus sequens statuit monitum: Sicut tu grave damnum infers proximo*



mo, apud alterum ejus famam, et bonam opinionem lædendo, ita et apud te ipsum; quia non minus optat proximus apud te existimari probus, quam apud alterum. MANSI, d. i. n. 7.

*Nosse debet, quando graviter peccetur per hoc vitium.* Tum scilicet, quando non ex certæ rationis dictamine, sed ex affectu, et corrupta passione proximus judicatur. Plenius rem explicat Abulensis, dicens: Ad radicem, unde derivatur, attendendum esse. Hæ autem ut plurimum tres sunt. Prima est, quando quis in seipso malus est, talis namque alios sibi reputat similes, difficile æstimans factu, ut quis ab iis vitiis remotus sit, quibus ipse immersus hæret. Secunda iudicii temerarii radix est malignitas atque odium, quod quis concepit contra proximum a passione invidia, contemptus, ut indignationis tractatus; talis enim vel ex levissimis movebitur iudiciis, ut quodcumque de proximo fornet iudicium; quilibet enim facilius credit, quod appetit. Tertia radix in longa fundatur experientia, quam quis de malis alterius habet actionibus et inclinationibus. Tunc enim facilius movetur ad credendum malum. Unde Aristoteles, l. II Rhetoricæ, senes ut plurimum præ reliquis suspiciosos esse astruit, quia majorem de juvenibus experientiam habent. Hisque præmissis, tandem concludit Abulensis in hæc verba: Primæ duæ radices iudicandi malæ sunt, quia manifeste pertinent ad perversitatem iudicantis, scilicet ad pravum iudicium, et malum affectum; nam quod quis iudicat, alios malos esse quia ipse malus est, pravitas iudicii est; quod vero mala iudicet, quia mala cupit, iniquitas voluntatis est; ideo istis duobus modis iudicare, semper peccatum est. Iudicare autem tertio modo, habet aliqualem rationem, quia experientia præteritorum certificat hominem aliqualem circa ea, quæ contingunt, et in quantum causat aliquam certitudinem, tollit vel diminuit conditionem suspensionis. ABULENS. in cap. VII *Matth.* Quæ doctrina magna ex parte ex S. Thoma desumpta est, qui tres suspicionis gradus in hæc distinguit verba: Primus gradus est, ut homo ex levibus iudiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat, et hoc est veniale, et leve peccatum; pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur. Secundus gradus est, cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levi-

bus iudiciis; et hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi. Citatque glossam, sequens suggerentem consilium: Si suspensiones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, id est, definitas et firmas sententias continere debemus. Tertius gradus est, cum aliquis iudex ex suspitione procedit ad aliquem condemnandum, et hoc directe ad injustitiam pertinet, unde est peccatum mortale. S. THOM. II, II, q. LX, art. 3.

*Nosse debet primarium fundamentum, et rationem, ob quam neminem iudicare tenere oportet, quam quidem S. Hieronymus sequentibus verbis indicavit:* Non enim conscientie latebras hominibus scire, aut nudare permissum est, dicente Scriptura: Homo in facie videt, Deus solus intima et secreta circumspicit; sed manifesta est vox Domini momentis: A fructibus eorum cognoscetis eos. S. HIER. in ep. v.

*Nosse debet, quantopere hoc vitium specialiter ab Asceta perfectionis studioso sit fugiendum;* id quod a S. Raymundo dicitur, qui, cum plura alia monita vice testamenti suis filiis et filiabus spiritualibus reliquisset; inter alia specialiter hortatus est, ne quem unquam iudicaret, dixitque, hoc esse necessarium ad veram mentis puritatem, ut in omnibus Dei voluntati attenderetur, qui omnia permittit ad bonum finem. *Vita*, l. III, c. XIII.

*Nosse debet solidum et efficace medium, hoc vitium effugiendi quale, quidem S. Climacus sequentibus verbis perapte assignavit:* Qui celeres, nimiumque diligentes proximi delictorum iudices sunt, hoc idcirco patiuntur, quia nondum suorum peccatorum fixam atque perfectam memoriam, curamque susceperunt. Nam si quis amoto proprii amoris velamine, mala sua diligenter inspicat, nullius jam rei alterius in hac vita curam geret, id apud se reputans, tempus sibi sufficere non posse, quo seipsum fugat, etiam si centum annos vixerit, etiamsi Jordanem fluvium in lacrymas conversionis ex oculis manare conspexerit. S. CLIM. gr. x.

*Nosse debet et curare, ut non modo ipse similia iudicia non ferat, sed et aliorum iudicia fortiter spernere addiscat, dicatque cum S. Paulo: Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die. I Cor. IV, 3.* Hinc recte S. Gregorius Nazianzenus dixit: Quid mea interest, qui rei veritatem

magis curo, imo solum curo? Hoc enim me vel condemnaverit, vel absolverit; hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid aliis videretur nihil ad vos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita aliis videretur, ais. Quid vero? An iis, qui vertigine correpti sunt, terra fixa et stabilis esse videtur? Quocirca fac prius fidem, sanos eos esse, qui de nobis ita sentiunt, et tunc nos admone, ut meliorem mentem induamus. S. GRÆG. NAZIAN. in Or. pro seipso. Recte ergo S. Hieronymus concludit: Spernentes hominum iudicia, nec laudibus eorum extollamur; nec obreptationibus contristemur, sed ingrediamur rectam viam, et tritas a SS. Prophetis semitas. S. HIER. l. I, c. III, in *Isaiam*.

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Nolle iudicare, et non iudicabimini; » possunt explicari cause, ob quas iudicia temeraria vitari debeant; nimirum 1. Quia *gravis* per tale iudicium committitur *stultitia*; nam stultiorum proprium est, teste Siraide, cor in sinistra manu habere, id est, omnia sinistre interpretari. 2. Quia *gravis* etiam per illud contrahitur *culpa*; nam, ut S. Dorotheus ait, omne fere peccatum exoclit, ideoque trahi a Christo comparatur. (S. DOROTH.) s. v. 3. Quia etiam *pæna* per illud *gravissima* incurritur, ut scilicet in eisdem labatur defectus et peccata, qui iudicat; quæ pæna merito gravissima iudicari debet. Accedit, quod in iudicio coram Deo sit inexcusabilis, ut qui eadem agit, quæ in altero condemnat. Vide Fabrum, conc. IV, in *Dom. 18 post Pent.*

Ex occasione thematis: « Nolle ante tempus iudicare; » (I Cor. IV, 5.) afferri possunt alie rationes, ob quas vitandum sit iudicium temerarium; nimirum 1. Quia *non licet*; cum hæc potestas soli Deo sit reservata. 2. Quia *non deest*; cum indecens sit, ut iudicium ferat, qui omnes rei iudicanda circumstantias necdum cognovit; intentionem autem, quæ potissima est actionum nostrarum iudicandarum regula, nemo cognoscere queat. 3. Quia *non expedit*; cum ipsi plurimis vitiis obnoxii simus, atque adeo nos ipsos potius, quam alios iudicare debeamus. Vide Fabrum, loc. cit.

Ex occasione thematis: « Tu quis es, qui iudicas proximum? » (JACOB. IV, 13.) possunt afferri cause, quæ ex parte solius iudicantis se habent. Itaque queratur: Tu quis es? et

respondeatur 1. *Homo reus*; ergo ipse iudicandus, atque adeo non nisi cum magna temeritate ac impudentia assumpturus iudicis officium. 2. *Homo cæcus*; ideoque ineptus ad iudicium de coloribus alienorum factorum ferendum. 3. *Homo fragilis*; cui proinde merito dicatur illud p̄i Ascetæ: Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, quia et tu multa habes, quæ oportet ab aliis tolerari. Vide iterum Fabrum, l. c. n. 1, 2, 3.

Ex occasione thematis: « Nolle iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate; » (JOAN. VII, 22.) possunt proponi aliquot media ad temerarium iudicium vitandum, et quidem ex Deo desumpta. Et 1. quidem *ob ejus potentiam*; ratione cuius illi soli convenit iudicaria potestas; hinc S. Paulus dixit: Tu quis es, qui alienum iudicas servum? Domino suo stat, aut cadit. (ROM. XIV, 4.) 2. *Ob ejus sapientiam*, ob quam de eo dictum est: Tu nosti solus cor omnium; unde homo non nisi ut cæsus de coloribus iudicat, si actiones humanas dijudicare presumit. (III REG. VIII, 39.) 3. *Ob ejus bonitatem*, qua hominum omnium peccata dissimulat, et supportat; quidni ergo homines ipsi simili cum charitate, et patientia mutuos defectus supportent?

Ex occasione thematis: « Non ergo amplius invicem iudicemus; » (ROM. XIV) possunt alia remedia ex parte hominis iudicantis se tenentia proponi; nimirum 1. *Consideratio naturæ propriæ*, ob quam quisque est commembrum alterius hominis, atque adeo tegere potius et occultare deberet alterius nuditatem, quam revelare. 2. *Consideratio propriæ fragilitatis*, ob quam deest aliorum onera et peccata leviora patienti animo tollerare, eo quod graviora longe in nobis ipsis supportare debeant. 3. *Consideratio justitiæ divine*, tum opera prava punientis, tum actiones bonas præmiantis, quam conciliare nobis facilius non possumus, quam sit ab aliis iudicandis abstinere.

Ex occasione thematis: « Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die; » (I Cor. IV, 3) potest ostendi, cur, et quomodo iudicia humana contemni debeant. 1. Quia *impossibile* est, omnibus placere; cum nec ipse Christus id poterit. 2. Quia *vani* est humana iudicia timere; cum quis non sit sanctorum, si laudatur; nec deterior, si vituperatur. 3. Quia *noxium* est, ob sinistra aliorum de nobis iudicia turbari;



quia sic multa inordinate et imperfecte fient, aut omnino omittentur, quemadmodum quotidiana experientia docet. Vide *Panarium* Busei fol. 257.

#### ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

In libro Job, cap. xxxv, eundem Job ab Eliu reprehensum fuisse legitur; dicit enim sacer Textus: « Igitur Eliu hæc rursus locutus est: Numquid æqua videtur tibi hæc tua cogitatio, ut diceres: Justior sum Deo? » At vero qua ratione de tam humili et modesto viro, qualis Job erat, (qui alias dixerat: « Verebar omnia opera mea: ») tam sinisterum iudicium formare potuit? Septuaginta Interpretes, ut Pineda notat ex Hebræo, ita vertunt: Quare hoc existimasti in iudicio? At vero inquit idem auctor: Ubinam Job dixit se justiore Deo? Nusquam, ut apparet. Idque plurimum interpretum Latinorum auctoritate probat; ac proinde Eliu mentium fuisse concludit, dum hanc imposturam Job innocenti affinxit; quia id semper moris est accusatoribus, ut dubia pro certis, conjecturas pro re ipsa, verisimile signum pro necessario asserant contra reum. Potuit itaque Eliu ex eo, quod Job asseruit se justum coram Deo, imponere, quod dixerit se justiore. Nec mirum, quia malum adversus Jobum animum gerebat, ideoque hoc iudicium temerarium de ipso formabat. (MANSI, d. II, n. 5.) Nazianzenus, in oratione de laudibus S. Basilii, ita scribit: Neque enim hoc quidam male tradiderunt, virtutibus finitima, et quodammodo vicina esse vitia, nihilque facilius esse, quam ut ab illis, qui hujusmodi rerum scientiam non tenent, res quaedam aliud esse iudicetur, quam revera sit. S. GREGOR. NAZ. in loc. cit.

Auctor quidam modernus super verba illa Luciferi: « Ascendam super altitudinem nubium, » ingeniose ita scribit: Nubes quasi velata sunt corda hominum, eorumque cogitationes et intentiones, quas naturaliter Angeli non possunt cognoscere, nisi voce aut signo prodantur; cum vero actiones hominum, quæ ex natura sua male non pendeant ex intentione agentium, consequens est, ut, qui de illis pravum fert iudicium nubes transcendere, et Dei similitudinem attribuere sibi velit. Qui hoc conatur facere, luciferinæ temeritati suam similem, sequæ assecram illius esse demonstrat.

Naas Ammonites contra incolam Jabes Galaad præliari constituerat, qui expavescentes subito ad pacta bonæ confederationis convolarunt, dicentes: « Habeto nos federatos, et serviemus tibi. » Ast ille superbus, quid opinamini, responderit? In hoc feriam vobiscum fœdus, ut erum omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel. (L. I REG. c. XI.) Per hunc igitur tyrannum Dionysius Carthusianus ad intentum nostrum, Dæmonem intelligit dicens: Diabolus respondet fidelibus. quin Ast am illi dextri sunt oculi, quos ererere intendit Satan? Oculi interiores, scilicet iudicii rectitudo, cuius apud S. Luca m fit mentio, cum dicitur: « Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. » Quamvis utroque oculo subnectit dictus interpres) excæcari majus fuisse damnatum, tamen dextro privari fuisse majus opprobrium. Dictos igitur habitatores eorum universo Israel infames prostituere volebat. Quod probrum in quo consistat, David ostendit, quando ad Deum conversus, in hæc supplicat verba: « Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia iudicia tua jucunda. »

An aliquando ad responsum, quod Satan Deo dedit, reflexionem fecistis? *Numquid considerasti* (dicebat Dominus ad Satanam) *servum meum Job, quod ei non sit similis in terra, homo simplex et rectus, et timens Deum, et recedens a malo?* Quid enim temerarium hunc respondisse existimatis? Hoc nimirum quod ad malum de aliis iudicandum proclives dicere solent: « Numquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum? » Nimirum ut Olympiodorus ait, simulatam Jobi ostentat religionem; quasi dicere voluisset: Nil mirum est, quod Job fidelem se tibi exhibuerit, quia, quidquid faciebat, id totum fecit, ut in bonis temporalibus prosperaretur. Non autem id in fine recto faciebat, scilicet ob bonitatis et Divinitatis tuæ meritum, ac proinde: Extende paululum manum tuam, et tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. S. Augustinus super illa verba: Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia iudicia tua jucunda, dicit: Hominum iudicia de occultis hominum non suavia esse, quia temeraria, et ideo summ dixit opprobrium, quod de aliis suspicatus est, hoc opprobrium volebat auferri, ut non

esset Diabolo similis, qui de occultis Sancti Job suspicatus est, quod non gratis Deum coleret; prosequens vero id, quo Jobo evenit, subjungit: « Inventum est autem falsum iudicium Diaboli, et opprobrium plenum, dum temere judicavit. S. AUG. in Ps. cxviii. »

Viri Bethsamitæ olim tanta cum severitate, subitanea morte fuere puniti, eo quod per curiositatem non profanam, sed devotam potius, Arcam Domini fuissent intuiti. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini, et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. Sed hæc omnia in figura continebant illis. (II REG. c. vi.) Unde Didacus Stella ex prædicta historia sequentem deducit moralitatem: Quanto, obsecro, secretius est ipsum hominis cor, quam ipsa Arca? Quanto major temeritas penetralia cordis hominis judicare, quam secreta loca Arce illius? Maxime igitur tu, qui hunc pessimum morem habes, ut semper alienam vitam inquiras, timere debes, ne in te Dominus mittat similem punitionem, et majorem. DRAC. STELLA, in *Luv.* vi.

S. Bernardinus ex verbis S. Apostoli: *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Apostolum tria præcipue tangere observat. Primo, iudicantis nihilitatem, dicens: Tu quis es? id est, cuius auctoritatis es, cum nihil a te sis, et vis rapere iudicium a Filio Dei, cui dedit Pater iudicium facere, quia Filius hominis est? Secundo, iudicantis rapacitatem, vel temeritatem; ibi: Qui judicas alienum servum; et Exodi 2. « Quis te constituit Principem super nos? » Tertio, iudicantis auctoritatem, dicens: Domino suo stat, aut cadit. Citatque textum illum Apostoli, prima Corinth. 3. Qui autem iudicat me, Dominus est; et superius dixit: « Sed neque me ipsum iudico, » quasi dicat: Quanto minus tu, qui interiora mea non nosti? S. BER. SEN. tom. II, s. xiv, a. 3, c. II.

Cum Apelles insignem quandam publicæ censuræ exposuisset a se artificiose depictam tabulam transiensque sutor de calceo quodam inibi expresso suum ederet iudicium, illum non bene factum esse dicendo, Apelles post tabulam delitescens, sutorisque iudicium audiens, libenter accepit censuram; ast quando etiam ad alias picturæ partes considerandas progressus est, præsumptionem retulit, dicendo: Ne sutor ultra crepidam. Idem omnino multis accini potest; quamdiu namque de rebus iudicant, sibi et

apud alios manifestatis et dependentibus a sensibus, recusationi locus esse potest; ast ubi finem et intentionem pariter internam discutere præsumperint, singulis exprorari potest dictum Apostoli verbum: « Tu quis es, qui iudicas, etc. » MANSI, d. IV, n. 4.

S. Matthæus scribit, quod in secunda pretiosius unguenti super caput Salvatoris effusione a Magdalena facta, videntes Discipuli indignati sunt, dicentes: « Ut quid perditio hæc? » E contra vero S. Joannes solum traditorem de hujus unguenti effusione conquestum fuisse scribit, de aliis vero Discipulis nihil meminit. Sed cur ita differenter utrumque Evangelistam hæc de re scripsisse existimatis? Cur Joannes solius traditoris mentionem facit? Responditur, quod, tametsi forsitan alii quoque de Magdalena liberalitate obmurmurarent, existimantes ex fine recto et sincera intentione, pretium hoc melius in subsidium pauperum adhiberi potuisse; verumtamen quia Judas ex solo avaritie motivo de Magdalena liberalitate scandalizabat, et denarium illum bursæ suæ eripi dolens, ideo Evangelista, cuius calamus Spiritu Sancto dirigebatur, id ipsum detegere nobis voluit ad nostram instructionem, ut intelligeremus, quod in ferendo de aliis iudicio, primo loco examinanda sit intentio et motivum, ob quod proximi operantur; Certum autem est, quod hoc solus Deus assequatur et penetret, non vero homines S. PETR. DAM. s. II de S. Andr.

Apud eundem Sanctum, Paterfamilias Evangelicus rogabatur a servis, ut liceret ipsis zizania ab inimico bono semini supereminata, ex agro evellere. Qui porro huic eorum petitioni consentire renuit. Servi autem dixerant ei: « Vis, inns, et colligimus ea? » Et ait: Non, ne forte colligentes zizania eradicetur simul cum eis triticum. » Circa quam parabolam bene observandum est, eos, qui hanc malam herbam eradicandi, licentiam postulabant, non fuisse agricolas, qui agrum illum excoluerant, quidque proinde germinis tam boni, quam mali aliquam habere potuissent notitiam et discretionem, sed servos agriculturæ parum peritos, qui facile errare potuissent; siquidem zizania hæc habet proprietatem, quod, quoadusque virescit; et germinat in agro, frumentum similima sit, ideoque facile errare poterant, loco lolii evelendo frumentum. Quæ



omnia in figura contingebant, nam ille Patertamilias, qui incarnatam præfigurabat Sapientiam, per hoc nobis indicare voluit, quod ad discernendum frumentum et zizania, necessarium sit expectare messem, id est, novissimum Judicii diem; in illo enim apparebit, quid sit zizania, quid vero frumentum: Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, etc. Quamdiu enim zizania, id est, quamdiu in hac vita moramur, fines et intentiones occultas operantium penetrare non possumus, nisi forte dono Prophetiæ et discretionis spirituum a Deo donati simus, sicut multis Sanctis id contingens constat. Optime igitur monet S. Laurentius Justinianus inquitens: Ubi opus ambiguum est, et quo fiat animo, ignoratur, definitum iudicium evitandum est, ne efficiatur homo temerariæ sententiæ reus, dum quod rectum est, arbitratur esse obliquum. MANSI, d. v, n. 5.

Neminem risus latet Abraham et Saræ, conjugis ejus; et nihilominus hanc dumtaxat, non vero illum reprehendit Angelus. Undenam hæc differentia, siquidem ex una eademque causa, tantus júbilus, atque lætitia utriusque derivabatur? Ecce vobis rationem. Diffidentiam pretendebat Sara, reputans se in senili ista ætate concipere et parere non posse, ideoque ridebat, dicente S. Augustino: Illius risus admirationis et lætitiæ fuit, Saræ dubitationis; et ab illo diducari potuit, qui corda hominum noverat. Hic itaque actus internus erat, quem instinctu divino manifestavit, reprehenditque Angelus. S. AUG. q. xc, in Gen.

S. Augustinus exponens verba illa S. Pauli: « Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem, » inquit: Non de duobus hominibus mihi videtur dictum, sed de homine et Deo. Qui enim alternos dies judicat, homo est, potest enim hodie aliud, cras aliud judicare, id est, ut quemcumque hodie malum, convictum, confessumque damnaverit, cras bonum inveniat et correctum; vel e contra, cum hodie aliquem justum laudaverit, cras inveniat depravatum. Qui autem judicat omnem diem, Deus est, quia non solum qualis quisque sit, sed etiam qualis omni die futurus sit, novit. Unusquisque ergo in suo intellectu abundet, inquit, id est, quantum humano intellectui, vel unicuique homini concessum est, tantum audeat judicare. Qui sapit, inquit, diem, Domino sapit, id est, hoc ipso quia ad præsentem diem bene

judicat, Domino sapit. Hoc est autem bene judicare ad diem, ut noveris, non esse de correctione ejus desperandum in futurum, de cuius culpa manifesta in presentia judicaberis. S. AUG. t. IV, in ep. ad Rom.

Considerabilis admodum est illa Genesios historia ubi Abraham, postquam in Mambre tres illos Angelos hospitio excepisset, se iis ad demonstrandam viam associasse legitur; quo tempore Deus supplicium, quo quinque infames civitates statuerat, manifestavit; Moxque Abraham pessimam illius populi vitam se ignorare adeo constanter asseruit, ut multos etiam perfectione et virtute insignes inibi dimorari crederet, inquitens: « Numquid perdes justum cum impio? Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul? » Et nihilominus ne quidem decem justos reperire erat; quin potius fœtor peccatorum nefandorum gentis illius usque ad Empyreum ascenderat: *Clamor Sodomorum venit ad me*. Quanto igitur magis ad Mambre, vicinum ad pauca milliaria locum, pertigisse debuere, præsertim cum verisimile sit, mutum interhabitatores utriusque loci viguisse commercium. Imo bonum adeo de Sodoma conceptum formarat Abraham, ut non in plurali (cum impiis) sed in numero singulari malos designaret, dicens: « Numquid perdes justum cum impio? » Maximam Patriarcha ille servorum habebat familiam 318, adeoque de pessimis populorum illorum poterat informatus esse moribus. Dabium nobis accommodatè resolvit Procopius, dum ait: Justus cum foret, et cæteros justos esse credebatur, quisque enim ex suo ingenio etiam alios judicat. MANSI, d. xx, n. 2.

Postquam Salvator vice quadam loquelam auditamque mutuo et surdo cuidam restitisset, circumstantes acclamantur dicentes: « Bene omnia fecit; et surdos fecit audire, et mutos loqui. » Ast si Christus in præsentia illorum unicum dumtaxat fuerat operatus miraculum, qualiter inde inteluerunt populi, quod omnia bene fecerit? Gratiitudinem obstupescatis populi, infusamque iis divinitus notitiam. Quanto eis præcipiebatur, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur. Populi namque illi justas denotabant animas, quarum proprium est, vel ex unica laudabili et virtuosa in aliis conspecta actione consequentiam deducere ad omnes, cæterasque similes judicare. E contra maligni, si vel unicum in proximo malum observant factum, cætera

pariter omnia defectuosa esse concludunt. Ibid. n. 5.

S. Basilius, in homilia quadam, hanc esse sturnorum proprietatem dicit, quod, licet ciantiam, que venosus est, manducent, talem tamen habeant viscerum constitutionem ut exinde nocamentum non recipiant. Ciantia quidem, inquit, sturni vescuntur, et tamen propter cordis constitutionem a veneno non occupantur. Cum enim per tenues ad corda penetrantes meatus transeat, fit, ut antea devoratam ciantiam concoquant, quam inde lethale gela ad præcordia pervenerit. Quam eandem sturnorum proprietatem justis applicare, indeque hunc in modum discurre possumus: Ciantia, id est, venenum operationis vitiosæ proximi nostri, animæ nostræ tunc minime periculosum erit, si de proximi nostris sinistre nihil opinetur, si in nobis ardeat calor charitatis; si aliorum defectus excusemus, dissimulemus, iisque ex corde compatiamur: Charitas enim non cogitat malum, et qui non diligit, inanis in morte. E contra vero si hanc virtutem non exercuerimus, venenum ad eor usque serpendo procedet. S. BASIL. hom. v, in Hexam. B. Dorotheus ait: Quis ita abominatur, et odio prosequitur peccata, ut Sancti viri? Et tamen peccatorem non abominantur, neque item diducant, aut illius facta disquirunt, sed condolescunt potius, admonent, hortantur, medentur. S. DOROTH. serm. vi.

## MISCELLANEA.

Recte in temerarios iudices invecus Horatius cecinit:

Cum tua pervideas oculis malalippus inunctis,  
Car in amicorum vitibus tam cernis acutum,  
Quam aut aquile, aut serpens Epidaurius?  
HORAT. Satyr. l. I, n.

Dixit quidam ex Senioribus: Si videris aliquem peccantem, ne mittas culpam in eum, sed in eum, qui impugnat ipsum et dicit: Vae mihi, quia iste nolens victus est, sicut et ego! Et plange, et inquire Deo solatiū, quia omnes decipimur. *Vita PP.* l. III, n. 130.

Aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt; ut recte dixit Seneca, l. II, de Ira c. XXVIII.

Deus Pater olim S. Catharinæ Senensis dixit: Miser homo semetipsum ignorando,

vult agnoscere pariter et judicare cor et affectum proximorum, et ex quadam operatione sive minimo verbo statim inconsulte damnabiliter judicat ea, quæ sunt hominibus occulta; sed amici mei semper judicant in bonum, quia fundati sunt in me summo bono. Hujusmodi vero miseri semper judicant in malum, quia fundati sunt in miserabili malo. *Dial. c. XCH.*

Non male iterum Horatius cecinit:

Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam,  
Nam vitis nemo sine nascitur; optimus ille,  
Qui minimis urgetur.

HORATIUS, l. I, sat. iii.

Stratonicus Ptolomæo Rege secum de Musica disceptante: Aliud est, inquit, o Rex, sceptrum, aliud plectrum. Significans, non esse regium cum musico de Musica disputare. ERASM. l. VI, *Apophth.*

Æsopus dicebat, unumquemque duas peras secum ferre; unam ante, alteram a tergo; et in anteriore quidem aliorum peccata reponere, in posteriore vero nostra. GRAXAT. in *Loc. Com.* s. CCCXCII.

FUGA. — Deus S. Catharinæ Senensis dixit: Ut attingere possis ad unionem ac puritatem istam, nunquam iudices in re aliqua, quam videris ab aliquo fieri sive dici contra te, sive contra alium. Etsi videres etiam peccatum expressum, extrahas ab ista spina rosam odoriferam, videlicet eos offerendo coram me per veram et fraternam compassionem, et isto modo pervenies ad puritatem perfectam. *Dial. cap. c.*

Stratonicus Minnaeo fabro de Musica secum disputanti dixit: Non advertis te supra malleum loqui? ERASMUS, l. VI, *Apophth.*

Miles quidam in Saxonia valde dives et potens, ministralis domini Henrici, Ducis Saxonie, habebat uxorem nobilem et dilectam. Die igitur quadam cum sermo haberetur de culpa Evæ cepit illa, (ut mos est mulierum) eidem maledicere, et inconstantiam animi judicare, eo quod pro medico pomo gule suæ satisfaciens tantis pœnis ac miseris omne genus humanum subdidisset. Sui maritus respondit: Noli illum judicare, tu forte in tali casu simile fecisses. Ego volo tibi aliquid præcipere, quod minus est; et propter amorem meum minime poteris illud custodire. Respondente illa: Quid est hoc mandatum? Ait miles: Ut die illa, qua balneata fueris, paludem curiæ nostræ ne ingrediarius nudis pedibus; aliis vero diebus,



si libet, intres. Erat enim aqua putrida et fimosa ex sordibus totius curiæ collecta. Illa subridente, et præcepti transgressionem abhorrescente, subjunxit miles: Volo autem pœnam addere. Si fueris obediens, quadraginta marchas argenti a me recipies; si autem non, totidem mihi solves. Et placuit ei. Ille vero ipsa ignorante secretos custodes paludi adhibuit. Mira res! ab illa hora matrona tam honesta et tam verecunda nunquam per curiam transire poterat, nisi ad prædictam paludem respiceret, et quoties balneabatur, de eadem palude tentabatur. Die vero quodam exiens balneum dixit pedisseque suæ: Nisi ingressa fuero paludem hanc, moriar. Statim succingens se, cum circumspexisset et neminem videret, comitante ancilla ipsa, aquam fetidam usque ad genua intravit, et hinc illucque deambulando bene concupiscentiæ suæ satisfecit; quod statim nuntiatum est militi. Ille gaudens mox, ut eam vidit, ait: Quid est, domina? Fuisline hodie bene balneata? Respondente: Fui. Adiecit: In dolo, vel in palude? Ad quod verbum tacuit confusa, cognoscens suum excessum, ei non latere. Tunc ille: Ubi est, domina, constantia vestra? Eva villus tentata fuistis, tepidius restitistis, turpius cecidistis. Reddite ergo, quod debetis. Et cum hæc non haberet, unde solveret, omnia ejus vestimenta pretiosa tulit, et per diversas personas distribuit, sinens per aliquod tempus eam bene torqueri. *Discipul. Prompt. Lit. 0. ex. xiii.*

## AXIOMATA.

Prima virtus Monachi est, hominum de se judicia contemnere. S. HIER. ep. xxvi.  
Quæ supra te, nihil ad te.  
Cæcus de colore non judicat.  
Quod tua non refert, percontari desinas.  
Medice, cura te ipsum.

## AUCTORES.

Joannes Buseus, in *Panario*. V. eodem.  
Nicolaus Lancelius, opusc. 9, toto.  
Jeremias Drexelius, in *Amussi*, lib. II, cap. vii.  
Ludovicus Granatensis, in *Locis Communibus*, fol. 389.

Henricus Engelgrave, in part. I, *Lucis Evang. emblem. xxix.*

Matthias Faber, conc. iv, in *Dom.* 48, post *Pent.*

Thomas Stapletonus, text. II, in *Dom.* 3. *Quadr.* et *Dom.* 1, post. *Pent.*

Josephus Langius, in *Polyanthea*, V. eodem fol. 616.

Josephus Mansi, in *Bibl. morali* tr. XLII.

## JURAMENTUM.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est tacita vel expressa Dei, tamquam primæ et infallibilis veritatis, in testem alicujus rei vitiosa invocatio. Et consistit in eo, quod jurans, sine legitima causa, quantum est in se, cupiat, ac velit, Deum id, quod jurat, testari (sive in hac, sive in altera vita) et manifestare, tamquam quod ab ipso sit cognitum ac verum. BUSEUS. I. III tr. II. c. II. Ex. S. THO. II. 2 q. 89. m. 1.

DIVISIO. — Divitur 1. in *Invocatorium*, seu *Contestatorium*, et *Execratorium* seu *Inprecativum*. Illud est quo Deus simpliciter in testem invocatur; istud est, quo non solum ut testis, sed etiam ut iudex vocatur, cum scilicet jurans aliud quidpiam Deo puniendum subjicit, si aliter se res habet, quam ipse affirmaverit, vel negaverit. Dividitur 2. in *Assertivum* et *Promissivum*. Illud est, quo præterita vel præsentia simpliciter affirmantur, aut negantur; hoc autem, quo aliquid futurum promittitur. Dividitur 3. in *Tenerarium*, quando sine iudicio, id est, necessitate aut utilitate juratur; *Injustum*; quo res illicita juramento confirmatur; et in *Perjurium*, quo Deus in testem rei falsæ invocatur. *Ibid.*

ACTUS ET GRADUS. — Primus est, *solis verbis simpliciter prolatis Deum in testem invocare*; uti facere solent, qui per Animam jurant.

Secundus est, *etiam corporale signum in contestationem sui Juramenti adhibere*; ut cum quis digitis binis erectis, aut super Evangelium positus jurat.

Tertius est, *etiam pœnæ cujuspiam imprecationem adficere*; ut cum quis ait, se cupere, ut Deus æternæ damnationi eum adjudicet, si falsum dixerit.

## EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Qui jurat in terra, jurabit in Deo, *Amen.* ISAAE, LXV, 16.

Et jurabis: Vivit Dominus in veritate, et justitia, et iudicio. JER. IV, 2.

Homines per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. HEB. VI, 6.

Non est scientia Dei in terra, mendacium, furtum, perjurium innundaverunt. *Ibidem.*

FUGA. — Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. EXOD. XX, 7.

Non perjurabis in nomine meo, ut nec pollues nomen Dei tui. LEVIT. I, 2.

Non usurpabis nomen Dei tui frustra; quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit. DEUT. V, 11.

Audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis: Non jurate omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus. MATH. V, 12.

Ante omnia, Fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester, *est, est; non, non*, ut non sub iudicio decidatis. JAC. V, 12.

DAMNUM. — Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. ECCL. III, 9.

Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo ipsius plaga. *Ibid.*

Loquela multum jurans, horripilationem capiti statuet, et irreverentia ipsius obturatio aurium. ECCL. XXVII, 15.

Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. ZACH. V, 2.

## EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Age die, ob quam causam introductum est juramentum? Fecit olim pacta Abraham, et immolavit victimas, et nondum erat juramentum. Unde igitur ingressum est? Quando mala creverunt,

quando omnia simul sursum ac deorsum confusa sunt, quando ad Idololatriam inclinarentur, tunc sane quando infideles apparuerunt, invocant Deum testem quasi fidei iussorem dantes satisfacturum. Juramentum enim est fidejussio, ubi mores fidei non habent. S. CHRYS. hom. IX, in *Act. Apostolorum*.

Si jurare cogaris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Quæ infirmitas utique malum, unde nos quotidie liberari deprecamur, cum diebus: Libera nos a malo. Sed nemo novit, nisi qui expertus est, quam difficile sit, consuetudinem jurandi extingui, et nunquam temere facere, quod nonnunquam facere necessitas cogit. S. AUG. I, II, de *Serm. Dom.* in monte c. xxx.

Bene prohibetur homo jurare, ne consuetudine jurandi, quia potest homo falli, etiam in perjurium probatur. Deus solus securus jurat, quia falli non potest. S. AUG. in *Ps. LXXXVIII*.

Qui contemnit Juramentum, illum despiciat, per quem juravit; illicque facit injuriam, cujus nomine creditur adversarius. S. HIERON. in *Ezec.*, I, V, c. xvii.

Jurare per execrationem gravissimum jurisjurandi genus est. S. AUG. in *Ps. vii*. Quacumque arte verborum cum jurat, Deus tamen, qui conscientia testis est, sic illud accipit, sicut ille jurator intelligit. S. ISIDOR. de *Summo Bono*.

Dei juratio, promissionis est confirmatio. *Id. super Ps. LXXXVIII*.

Juramentum magis indicium incredulitatis est, quam fidei. S. CHRYS. *sup. Ep. ad Ephes.* ser. II.

In dolo jurat, qui aliter facturus est, quam promittit, cum perjurium sit, nequiter decipere credentem. S. AGUSTIN. *super Ps. Domini est terra*.

FUGA. — Si simpliciter nominare Deum, non omnibus (Hebræis olim) fas erat, hoc certe quod in testimonium vocatur, quantæ audaciæ, dic, oro, quantæ insanæ? Quomodo enim non absurdum, servum quidem non audere Dominum nominatum, et sine honoris prælatione appellare, Angelorum vero Dominum temere et contemptim ubique jactare? S. CHRYS. hom. IX, in *Act.*

Laborare debetis, et congligere adversus consuetudinem vestram malam, malam, malam, valde malam, et tollere jurationem de oribus vestris. Cavete a falsa juratione,